

- 55 Hinc est, quod infra annum debet promoveri ad ordinem suæ præbendæ annexum, & sic debet esse in ætate illa, quæ requiritur, ad obtinendum tale beneficium, in quo est Coadiutor, ut possit in tali ordine, Ecclesiæ inservire, ad allegata per *Barbosam de Canonicis c. 29. num. 48.*, & 49., & *de Univers. Jure Eccles. p. 3. c. 10. num. 83. Trid. sess. 22. c. 4. de reform.*, ubi *Barbosa num. 22.*
- 56 Immo impedimento cessante, si Coadiutor negligat infra annum suscipere ordinem suæ præbendæ, amittit medietatem distributionum, quæ accrescit massæ communi, ad *tex. in Clem. 2. §. illi verò de ætate, & qualitate, & ordinem, post Garziam de Beneficiis p. 4. c. 5. in addit. num. 34. ad finem*, aliàs esset melioris conditionis, quam Canonicus verus, qui non promotus infra annum ad ordinem suæ præbendæ, amittit medietatem distributionum, ex dicta *Clem. 2. §. illi verò: notat Barbosa de Canonicis c. 37. nu. 25.*, undè tenebitur ex propriis, eam medietatem restituere Coadiuto, juxta formam, & litteras suæ Coadiutoriæ, immò poterit, & aliis penis puniri, ex dicta *Clem. 2. notat. Barbosa ad Trid. sess. 22. c. 4. n. 23. & sess. 24. c. 12. de reform. num. 40. in fine.* Quæ omnia intelligenda sunt, juxta supra notata, de Canonico negligente suscipere ordinem suæ præbendæ, infra annum, ut scilicet requiratur sententia Judicis privans, ex quo non est ipso Jure privatus: *tex. enim in Clem. 2. §. illi verò*, dicit (pars dimidia subtrahatur), quod importat Judicis sententiam requiri; Deindè (in præcitato §. illi verò, dicitur (justo impedimento cessante) quia dato impedimento justo, Canonicus, vel Coadiutor, non est negligens, pro ut notavimus in principio hujus tractatus, & notat *Barbosa de Canonicis c. 16. n. 11.*, neque annus incipit currere, nisi à die pacificæ possessionis captæ; *Barbosa ad Trid. sess. 22. c. 4. num. 12.*, & *de Canonicis c. 16. num. 7. ex tex. in Clem. prædicta §. illi verò ibi* (pacificè nunc obtinent, vel obtinuerint in futurum, *Zabarella in dicta Clem. Ut ii sub num. 4.*
- 57 Dubitari tamen posset, si Coadiutus esset in ordine suæ præbendæ, id suffragaret Coadiutori, ut non teneretur talem ordinem suscipere infra annum, & non suffragari, respondit Sacra Congregatio, relata

ad *Barbosa de universo Jur. Eccl. lib. 3. c. x. n. 79. in fine.*

- 58 Nec omittendum puto, quod pariter notavi in prima parte hujus tract., quod si impeditus sit culpa sua, vel possit impedimentum tollere, & negligat, non excusabitur à negligentia, neque à pœna, quod etiam notat *glos. in dicto §. illi verò in verbo impedimento*, & pluries exemplificando ponit, justis impedimenti causas; *Moneta de distrib. p. 2. q. 19. num. 8.*
- 59 Negligens ergò, si monitus, vellet potius cedere Coadiutoriæ, quam residere, aut ordines sumere, quæritur an possit, invito Coadiuto? & respondit *Garzias de benef. p. 4. c. 5. num. 124.*, & 126. post *Gonzal.*, *Butrium*, & alios, videri posse, si accedat Papæ consensus, ex quo datus est Coadiutor à Papa; consentiente verò Coadiuto, posse cedere, auctoritate Ordinarii, ex quo Coadiutoria duas continet partes, prima spes futuræ successionis, quæ cum respiciat solum Coadiutoris favorem, poterit ei Coadiutor cedere, absque consensu Papæ, & Coadiuti; altera est servire Ecclesiæ pro Coadiuto, & propriè dicitur Coadiutoria, quæ cum respiciat favorem Coadiuti, nequit Coadiutor, in ejusdem præjudicium cedere, nisi ille consentiat.
- 60 Ad consilium vocantur Canonici ab Episcopo, & ad congregationes pro Ecclesiæ regimine, *tex. est in c. Novit de his quæ sunt à Prælatiis, sine consensu capituli*, tunc autem notabiliter peccare possunt ex negligentia, si omittant, aut veritatem non exprimant, secundum, quod noverint ad rectum Dei servitium spectare, undè neque adulando, loqui, neque ex timore, tacere, aut involutè, obscure, æquivocè pronuntiando, muneris suo satisfaciunt; Hinc est, quod *Fridericus Imperator*, solebat dicere, quod Probi consilarii duo debebant deponere, ut rectum consilium proferrent; nempè simulationem, & dissimulationem, ut refert *Aeneas Sylv. lib. 3. comen. de rebus Alfonso*, & *Javell. tract. 3. Polit. Christ. c. 4.*
- 61 Consilarii enim, qui simulant, aut dissimulant, potius proditores sunt, quam consilarii; Princeps enim petens consilium, nec instruitur simulatione, aut dissimulatione, nec ab errore, aut passione sanatur, *Ubi enim deest veritas, ibi necesse est, ut abundet Iniquitas, & Injustitia*, nam certum est

ex

- ex sacro eloquio, quod spiritus Sanctus effugit fictum; *sapientiæ c. 1.*
- 62 Et in hoc munere de negligentia etiam possunt culpari, non studendo, & memoria comendando, quæ viderint ad rem pertinere, & ut rectum consilium præbere valeant, curent omnino recta conscientia incedere, ad proprium interessè non aspiciere, nam spiritus Sanctus, qui ante consilium invocatur, ut adsit, *in malevolam, & Improbam non introibit animam sapientiæ c. 1.* Scriptum est enim *psal. 31. Confitebor adversum me iniquitiam meam, & sequitur, Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.*
- 63 Quo verò ad Capitulum, negligentia culparentur Canonici, si omitterent in principio Capitularis actionis invocare Spiritum Sanctum, Dei enim præsentia, & assistentia specialiter invocata fundamentum omnis rectitudinis, & Justitiæ est, ut scripsit *Gregorius Antiocheno Episcopo lib. 7. Epist. 47. relatus in c. cum Paulus 1. q. 1.*
- 64 Sicuti negligentia culpabilis esset, si dimitteretur Capitulum gratiarum actione non peracta, ac laudibus divinæ bonitatis non perolutis.
- 65 Canonicus Pœnitentiarius poterit in pluribus negligentia Culpari, constat enim ex *Sacro Concilio Trid. Canonici, Pœnitentiarum Institutionem ordinata in esse, ut Sacramentum pœnitentiæ fidelibus administret, & tanquam Parochus totius Diœcesis, peccantium vulnera prudentia, scientia medeatur; Idèd debet esse Doctor, vel saltem licentiatus in Theologia, vel in Jure Canonico; undè negligens erit si studio, & diligentia non curet discere, quæ necessaria sunt ad hoc pœnitentiarum munus rectè, & prudenter obeundum, & licet ad Validam Canonicatus consecutionem sufficere gradum, sine litteratura competenti, dixerit *Garzias de benef. p. 7. cap. 4. num. 32. & c. 7. num. 49.*, & 50., tamen ad rectè obeundum munus non sufficit, sed electus non addiscendo peccaret graviter, neque Canonicatus esset conferendus Doctorato, valde Ignaro, ut declarasse *Sacram Congregationem Instante Card. Bellarmino sub die 20. Martii 1623.*, refert *Barbosa tract. de Canonicis cap. 26. num. 9.**
- 66 Negligentia culpabitur Pœnitentiarius pariter, si recusaret audire pœnitentium confessiones, & posset ab Episcopo puniri, tenetur enim horis opportunis semper paratus esse, ad talem sacramenti administrationem, ex allegatis per eundem *Barbosam de potestate Episcopi alleg. 55. num. 28. 29.*, & *de Canonicis cap. 26. num. 14. 15.*
- 67 Hinc est, quod in casu contingenti in hac nostra Cathedrali Ferrariæ, cum Canonicus Pœnitentiarius fuisset electus, ad officium Camerarii Capitularis, & ad alia munia obeunda in Diœcesi, ad quæ insumendum erat tempus plurium mensium, etiam cum absentia à Civitate, expressè, & replicatè sui in voto, munia illa fuisse, & esse incompatibilia, cum officio Canonici Pœnitentiarum, quia electa est industria personæ, ad notata per *Barbosam dicto cap. 26. sub num. 18.*, 23., & licet possit hic, & nunc in particulari casu facultatem suam alteri subdelegare, non tamen universaliter Jurisdictionem suam demandare, pro ut videbatur necesse, dum incompatibilia assumebat officia, & praxis docuit, quod dum ad ea munera à Civitate abesset, plures habentes litteras sacre pœnitentiariæ directas Theologiæ magistro, vel Canonum Doctori, eundem Pœnitentiarum elegerint exequutores, spe, & effectu fraudati, alios inquirere exequutores fuerunt coacti, idèd Consulere, ut Eminentissimi Episcopi Synodali decreto huic malo consulerent.
- 68 Nec relevat, quod Canonicus Pœnitentiarius non teneatur ad majorem residentiam, quam alii Canonici, nam hoc limitandum est, dum modo non absit tempore, quo frequentius pœnitentes accedunt, & diebus festis solemnibus, aliisque temporibus, quibus pœnitentes solent frequentius ad sacramentum accedere, & pro ut post plures, notat *Barbosa d. c. 26. num. 19.*, & præterea considerabile est, quod frequentè hic impetrantur litteræ sacre Pœnitentiariæ, & solent accedere, pro executione Pœnitentiarum, tanquam notiore, qui habeat qualitates requisitas, ad quem Parochi, maxime Rurales, solent suos Parochianos dirigere, & consequenter importare, quandam majorem obligationem residendi, quam in cæteris Canonicis.
- 69 Canonicus Pœnitentiarius in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, supplet vices Episcopi, & ex eo dicitur Parochus

T Uni-

verfalis in Episcopatu, non negligat perpetuo mente tenere præcepta, *D. Pauli ad Timotheum Epist. 2. c. 4.* (Insta oportune, importune, argue obsecra, Increpa, in omni patientia, & doctrina, quæ omnia si exactè servaverit, officium Pœnitentiari laudabiliter se explevisse cognoverit, nec Deo rationem reddendi supererit causa in finali Judicio.

70 Canonicus autem Theologus, qui juxta decretum Concilii Trid. sess. 5. cap. 1. de reform., præbendam Theologalem consequutus est, cum teneatur alios docere, & magistrali munere publicè fungi, diligens esse debet in studio sacrarum literarum, & ei negligere hoc studium, valde culpabile reputabitur.

71 Hoc studium tres habet partes; prima est respiciens interpretationem Sacrarum scripturarum, & de hac principaliter loquitur Concilium Trid. dicto loco sess. 5. c. 1. de reform., secunda pars respicit Sacras Theologicas disputationes, metodo speculativa in scholis exagitata, qua metodo Canonicus Theologus legendo, & docendo satisfaciet muneri suo refert decisum Garzias de benefic. p. 5. c. 4. num. 156., Barbofa ad Concilium Trid. dicto c. 1. num. 39.; tertia pars est, quæ dicitur Theologia moralis, & de casibus conscientiarum, ex professo tractat, & in hac parte, multum insudare debet Canonicus Theologus ad instruendum Clerum, ut apti fiant ad audiendas confessiones, & Ecclesias parochiales regendas, & in hoc studio maxima requiritur diligentia, ne docens incidat in illud Ve appositum in Sacra Scriptura, nempe Ve qui dicit

malum bonum, & bonum malum, tum quia materia adeo latè patet, ut posset dici infinita, tum quia humanæ actiones, quæ sunt materia hujus facultatis, sunt sine numero, tum quia ferè singulæ diversis circumvestiuntur circumstantiis, tum quia adeo diversificant Doctorum sententiæ, ut meritò post plurimos labores, & sudores in studio possit dicere, Vix capi.

72 Poterit negligentia culpari, si continuatè non legat, & doceat toto tempore ad legendum destinato, Vacare tamen poterit tribus mensibus, nempe Julii, Augusti, & Septembris ad allegata per Barbosam de Canonicis c. 27. num. 27., & ex antiquissima consuetudine in hac Cathedrali Ferrariæ Theologus vacat etiam Mense Octobris, accomodando se Universitati Almi Studii ejusdem Civitatis, in qua Doctores legere exordiuntur post festum Omnium Sanctorum.

73 Ut autem auditores ei plenam fidem præstet, & proficiant, maximè in moralibus, non negligat Canonicus Theologus se ostendere Justitiæ, honestatis, & probitatis amatorem, quomodo enim credituri sunt, quod dicit, si moribus contradicit, ac timere debet, quod Spiritus Sanctus per Os David intonuit. *Psal. 49.* Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Et Gregor. in homil. 12. in Evangelium, (cujus vita despicitur, restat, ut ejus prædicatio contemnatur, & Jo. 8. Christus ait) Qui sine peccato est Vestrum primus in illam lapidem metat.

## De Negligentia Clericorum, & Sacerdotum.

### S U M M A R I A.

1 Clerici, & Sacerdotes, quamquam negligentes, & ex eo gravius peccent, quam Laici, tamen adhuc in honore sunt habendi.

2 Clericus hæres, negligens in conscribendo inventario, amittit beneficium cap. Odoardus de solut.

3 Vocatus coram Judice non competente, non opponens exceptionem incompetentiæ, tene-

tur ad expensas.

4 Puniendus est Clericus pœna extraordinaria, si citatus criminaliter coram Judice seculari non opponat declinatoriam.

5 Ex Negligentia Sacerdotis, si aliquid de Santissimo Sanguine stillaverit, qua pœna puniendus.

6 Et qua pœna, si negligens sit in custodia Santissimæ Eucharistiæ.

7 Cle-

7 Clericus non studens, ac propterea ignorans necessaria ad suum statum, summopere culpabilis est.

8 Negligere vestitum decentem Clerico, est virtutem negligere.

9 Clericus non negligens, quæ sunt mundi, mundum potius diligere, quam Dei famulatum, convincitur.

10 Sacerdos omittens summere in sacrificio Missæ utramque speciem, qualiter puniatur.

11 Non sufficit Clericis vivere, sicuti probati laici, sed requiritur, ut præstantiores virtutes proficiantur.

12 Recusans ex inertia, & negligentia suscipere munera Ecclesiastica, culpatur à D. Augustino, & convincitur amare se, non verò Christum.

13 Qui negligit Ecclesiæ ministerium, propter negotia secularia, tamquam de damnabili culpa reus est corripiendus.

14 Negligens horas canonicas recitare præter culpam mortalem, si beneficiatus, non facit fructus suos.

15 Neque excusatur à restitutione, si die sequenti bis recitaret horas canonicas.

16 Maledictionem in Sacerdotes negligentes profetavit Malachias.

17 Sacerdotes negligentes sacros ritus, sunt graviter corripiendi ab Episcopo, & gravis est

negligentia, si celebret sine veste talari.

18 Et correptione digni sunt, qui celebraturi collararia deponunt.

19 Causa propter quam multoties monendi sunt, ut à negligentia resipiscant, metu pœnæ.

20 Clericus concubiniarius monendus, alias non abstinens punitur, juxta decretum Concilii Trid.

21 Ad effectum puniendi non sufficit paterna monitio, nec sufficit monitio generalis in Synodo, vel Edicto: num. 22.

22 Nisi concubinatus esset notorius.

23 Vel concubina sit domi retenta, vel extra.

24 Tres requiruntur monitiones.

25 Si verò Episcopus velit aponere aliam pœnam, quam Concilium decernat, tunc attento Jure communi aliter est procedendum, & n. 27.

26 Præmonitiones non requiruntur, ad effectum carceraudi Clericum, suspectum de concubinato.

27 Præmonendus est Clericus exercens artem sordidam, qui si non cesset negligens punitur.

28 Ita, & Clericus negotiator est præmonendus.

29 Vel si exercet artem Histrionatus.

30 Negligens elemosinam facere de redditibus beneficii graviter culpatur.

31 Sacerdos qui recepit loco elemosinæ duas duplas aureas, qualiter debuisset diligenter inquirere de intentione dantis.

## ARTICULUS VIII.

### De Negligentia Clericorum, & Sacerdotum.



Uamvis Clerici, & Sacerdotes negligentes sint, adhuc in honore habendi, ut dicit Concilium Aquisgranense Ludovico Pio Imperatore celebratum per hæc verba (licet Sacerdotes in multis sint negligentes, non tamen vituperandi, nec despiciendi, sed propter illum cuius ministerium gerunt audiendi, ac congruo honore venerandi) tamen propter negligentiam, tanto magis sunt culpabiles, & puniendi, ita ut Beda in Mattheum relatus in c. nec sufficere nobis (idest Clericis) ad salutem arbitramur, si turbis negligentium, vel quorumlibet indoctorum fide, vel actibus adqueamur) quia major diligentia, & in rebus fidei, & in Sacris litteris à Clericis adhibenda est, quam à tur-

bis, ac propterea Clerici fugere debent ocium, nam multam malitiam docuit ociositas, *Eccel. 38.*

2 Clericus de negligentia culpatur, ut hinc exordiar, ex propria persona, institutus hæres, non conscribens inventarium, sicque in hoc negligens, non gaudet beneficio, c. Odoardus de solut., sed tenetur ultra vires hæreditarias ad tradita per Sperellum de c. 135. num. 21.

3 Secundò; Coram Judice incompetente vocatus, non opponens de incompetentiâ, & sic negligens, tenetur ad expensas actori, *Beller. disq. cleric. p. 1. tit. de favore clericali personali §. 2. num. 20. per tex. in c. exceptionem, & ibi glos. in Versie. condemnandus de exceptionibus.*

T 2

4 Ter-